



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

Sectio Sexta. De Proprio de Tempore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

S E C T I O S E X T A.

De Proprio de Tempore.



EXPOS CIT ordo Breuiarij, vt, explicatis Rubricis generalibus, accedamus ad Rubricas speciales, & partes eiusdem Breuiarij; & cum de Psalterio (quod aliàs erat in centro Breuiarij, nunc in capite) dixerimus satis, cum de Psalmis enarraremus, *Sectione precedenti cap. 8.* reliquum est, vt Proprium de Tempore, quod Psalterium sequitur, examinemus, digniora tantum relaturi.

SECTIONIS SEXTÆ CAPITA XXI.

- | | |
|---|--|
| 1 De Aduentu. | 10 De Feria quarta Cinerum. |
| 2 De Antiphonis maioribus Aduentus. | 11 De Dominicis Quadragesima. |
| 3 De Dominica quarta Aduentus. | 12 De Dominica Passionis. |
| 4 De Vigilia Natiuitatis Domini. | 13 De Dominica Palmarum, & Hebdomada maiore. |
| 5 De Natali Domini. | 14 De Paschate, & eiusdem Octaua. |
| 6 De Festis infra Octauam Natiuitatis Domini. | 15 De Tempore Paschali. |
| 7 De Epiphania Domini. | 16 De Litanis maioribus, & minoribus. |
| 8 De Dominicis post Octauam Epiphania. | 17 De Festo Ascensionis Domini. |
| 9 De Septuagesima, & Dominicis sequentibus. | 18 De Pentecoste. |
| | 19 De Dominica Trinitatis. |
| | 20 De Festo Corporis Christi. |
| | 21 De Dominicis post Pentecosten. |

De Aduentu. CAP. I.

DE Hymnis & Lectionibus egimus superiori *Sectione cap. 6. & 12.* omittimus Suffragia Sanctorum, ne ante Christum natum implorare videamur eorum opem, quos ipse Christus suo aduentu sanctitate donauit. Neque fit com-

memoratio Crucis, ne videatur passus antequam natus; neque item de Pace, quæ ante Natiuitatem eiusdem non fuit; sed eo nato, ab Angelis data est hominibus bonæ voluntatis, *Azot. lib. 10. par. 1. cap. 16.* Aduentu Principis cedunt alij, ait Duran. *lib. 6. cap. 2.* quod supra retulimus.

2 Responsorium primum est in Breui-

Breniario vnicum, quia tres Versus habet; & Amalar. *de Ord. Antiph. c. 8.* meminit. Auctor illius fuit Monachus S. Gregorij, ex Duran. *lib. 6. c. 3.* Tres autem Versus ex eodem Duran. dicuntur nomine trium ordinum Sanctorum, qui ante legem, in lege, post legem Saluatorum exoptarunt: quibus additur *Gloria Patri*, in laudem S. Trinitatis, quæ tandem misit eum in terras. Repetitur demum à capite Responsorium; quia, vt inquit Gemma *lib. 3. cap. 1.* iterum aduentus Domini à fidelibus expectatur. Repetitio fit à remotiori, deinde à minùs remoto, & demum à propinquiori: quia Patres primi temporis remotiores fuerunt ab Aduentu Christi quàm recentiores, Mich. Timot. *in Spec. ordinand. tractat. 6. par. 5. cap. 4.*

3 Reliquorum Responsoriorum dicitur auctor S. Gregorius, & mentio est eorundem, sed ordine paulùm diuerso, apud Amalar. *loco citato.* cetera cum eodem Amalar. concordant, præter Lectiones.

4 In Dominica tertia mutatur Inuitatorium, quod concordat cum Capitulo Vesperarum & Laudum, ad excitandos animos erga Christum venientem; & congruentiùs nunc mutatur in Dominica tertia quàm in Feria 4. Quatuor Temporibus, vt ante Pium V. fiebat.

5 S. Hilarius *in lib. Officiorum* citatus à Bernone *de quibusdam ad Missam spect. c. 4.* notat, in tribus Dominicis Aduentus significari trinum Christi aduentum ad ficulneam infructuosam; venit enim ante legem per naturalem hominis intellectum; venit sub lege, cum ipsa lege; venit vltimò per gratiam. Hæc ille.

6 De Quatuor Temporibus Ad-

uentus, sicut etiam de alijs in Vere, Æstate & Autumno, satis superque diximus in priore Tomo. Officium est feriale cum Precibus, exceptis Temporibus Pentecostes; & appellata sunt Feriæ maiores in recognitione Breuiarij, vt diximus *Sectione 3. cap. 6. num. 2. pag. 27.*

De Antiphonis maioribus Aduentus. CAP. II.

1 **A**ntiphonæ maiores in Aduentu dicuntur eæ, quæ per septem dies ante Natiuitatem Domini recitantur, incipientes ab O, quæ maiores alijs sunt, quia duplicantur. De his quærentur quatuor, &

Primò, Cur ad *Magnificat* recitantur? nam ad Laudes congruentiùs videbantur recitari posse, ad Canticum Zachariæ, quod fuit cantatum de Aduentu Messie. Respondet tamen Amalar. *de Ord. Antiphon. cap. 13.* eas spectare magis ad beatam Virginem quàm ad Zachariam. Addit Duran. *lib. 6. cap. 11.* quia Christus expectabatur ad vesperam mundi, ideo dicuntur in Vesperis ad *Magnificat*.

2 Cur duplicantur? ad explicanda iterata suspitia sanctorum Patrum, Duran. *loco citato.*

3 Cur septem? Ad litteram, vt per Octauam ante Natiuitatem Domini accendamus erga Christum venturum, admirantes potius quàm vocantes Saluatorem, qui iam venit: nam illud O admirantis est magis quàm vocantis, ex Amalar. *loco cit.* Mysticè quoque septenarius numerus significat in Christo septiformem Spiritus sancti gratiam, & septem humani generis miseras, quas ex Antiphonis
O 3. haustas

haustas recenset Durand. loco citato: quarum causa, inquit, egemus Doctore contra ignorantiam, Redemptore à pœnis aternis, Liberatore à seruitute diaboli, Eductore à consuetudine peccati, Illuminatore tenebrarum nostrarum, Salvatore ad reducendos exules in patriam, tum Gentes, vt in sexta Antiphona, tum Iudæos, vt in septima.

4 Quis ordo inter easdem? Amalar. loco citato eas enumerat iuxta Antiphonarium Merense, & innuit, ordine diuerso à Romanis recitari. Ordo noster est apud Gemmam an. lib. 3. cap. 5. & ab eodem auctore sic explicatur; vt in prima Antiphona dicatur Christus *Sapientia*, qui venit in spiritu sapientia. In secunda, *Adonai*, quod nomen Moyfi indicauit Deus, qui legem dedit, & venit nos redimere per spiritum intellectus. In tertia, *Radix Jesse in signum populorum*, hoc est, in signum Cracis; & liberare nos venit in spiritu consilij. In quarta, *Clauis David*, qui cælum iustis aperit, & infernum claudit in spiritu fortitudinis. In quinta, *Oriens*, qui nos illuminat spiritu scientia. In sexta, *Rex gentium*, & *lapis angularis*, qui saluat omnes per spiritum pietatis. In septima, *Emmanuel*, qui venit non sine spiritu timoris, dans cunctis charismata amoris. Hæc ille fultius. Est igitur hic numerus septenarius ex *Isa. 11.* de sumpris.

5 Præcedunt has Antiphonas alia ad Laudes, quasi preparatoria ad maiores, de quibus Amalar. libro 4. cap. 30. vt renouemur, ait, paulò ante Natiuitatem. Habebantur de his in Breuiarijs antiquioribus quædam Tabulæ Parisienses cum hac Rubrica, vt scilicet, si Festum occurre-

ret, completis omnibus de Fello, rursus dicerentur Laudes cum his Antiphonis & Psalmis ferialibus: quæ Tabulæ à Pio V. mutatae sunt in Rubricam commodiorem, qua quinque Feriæ complentur; & quæ in die sancti Thomæ occurrunt, in Sabbato collocantur.

6 Tres aliæ Antiphonæ sunt privilegiatæ in his diebus. Prima est *Expectetur*, quæ semper in Sabbato dicenda est quarto loco (quod & antiqui obseruauerunt) vt concordet cum Cantico Sabbatino, de quo sumpta est, & benè quadrat Aduentui Domini. Altera est, *Nolite timere*, quæ die 21. mensis Decembris semper est ponenda, siue sit Festum sancti Thomæ, siue Dominica; ne enuntietur falsum extra quintum diem ante Natiuitatem. Hæc ante Pium V. dicebatur tecum *Gloria Patri*, ex instituto Fratrum Minorum, non Romano; & idè ritus ille fuit abrogatus. Tertia est, *Ecce completa sunt*; quæ vltimo die dicitur ante Vigiliam Natiuitatis, ex Tabulis Parisiensibus Radulphi antiquioribus, quas ille citat, & excludit *Propos. 16.* Congruunt autem diei, vt ex verbis eiusdem Antiphonæ constat.

7 Cœcessit Hispanis Gregorius XIII. vt anticipent prædictas Antiphonas in die 16. Decembris, quia die 17. celebrant Festum Expectationis partus beatæ Virginis. At quid, quando dies 16. est Dominica? eo anno omittantur Antiphonæ Feriæ 2. ratione, qua in vniuersali Ecclesia omittuntur Antiphonæ illius Feriæ, in qua occurrit Festum sancti Thomæ, quando Vigilia Natiuitatis occurrit in Dominica, cuius Antiphonæ dicuntur in Sabbato.

8 Et quando alicubi contingit reponi has Antiphonas in Feria diuersa ab ea cui sunt assignatae, Antiphona 4. ea erit quae conformis est Cantico recitando, sicuti praescribitur de Antiphona *Exspectetur* reseruata Sabbato.

De Dominica quarta Aduentus.

C A P. I I I.

1 **C**ontingit non legi in Officio Dominicae 4. Euangelium, quod ideo saltem in praecedenti Sabbato legitur: puta, quando in hac Dominica occurrit Vigilia Natiuitatis, & eo anno omittuntur Antiphonae ad Laudes quae occurrunt in die sancti Thomae, vt in Sabbato Quatuor Temporum ponantur Antiphonae Dominicae quartae, quae omitti non debent. quod affirmat Microl. cap. 33. & approbat indagator Romanorum Rituum Radulphus Propos. 16. qui appellat *ibidem* supercrescentia ea quae habentur in Breuiario post Dominicam 4. quia in breuiori tempore Aduentus omittuntur.

2 Et licet in praedicto casu Antiphona quarta Dominicae omittatur, cuius loco dicitur Antiphona, *Exspectetur*; eadem tamen quarto loco resumitur in Vigilia Natiuitatis, ne Officium huius Dominicae villo modo pereat.

De Vigilia Natiuitatis Domini.

C A P. I V.

1 **S**i Vigilia venerit in Sabbato, vice Psalmi *Iubilate*, in Nocturno dicitur Psalmus *Bonum est*, ne ille bis dicatur, ad Matutinum, & Laudes; & neque hic omittatur in Officio.

2 Antiphonae ad Laudes, *Iudaea, & Ierusalem*, &c. habentur apud Rupert. lib. 3. cap. 12.

3 Ritus Officij à Laudibus est Duplex, nō ante annum 1521. in Breuiar. impressis; at erat etiam in antiquis M. S. Duplex; & cum Vigilia sit illius Festi, quod est initium salutis nostrae, iure merito cum exultatione est celebranda. Est igitur Officium partim feriale, quia Vigilia est; partim festiuum, iuxta illud, *Leuate capita vestra*, &c. & vt Officium Primae sit solemne, in quo est annuntianda Natiuitas Saluatoris cum solemnī lectione Martyrologij.

4 Legitur Martyrologium cum maiori quam aliās solemnitate; qua in re quisque abundat in ritu suo. Illud est commune ferē omnibus, vt genua flectamus ad ea verba, *In Bethleem Iudae*, &c. vsque ad ea, *secundum carnem*; ea ratione qua ad Misam genuflectimus in Symbolo ad ea, *Et incarnatus est*; & in ultimo Euangelio ad ea, *Et Verbum caro factum est*. Humiliatio namque Deo, & nos vsque ad terram profundius solito humiliari decet. quod & additum est in postrema Martyrologij recognitione.

5 Ad Nonam inclusiuē definit Aduentus, & cessat *ψ. Angelus Domini*, &c.

De Natali Domini.

C A P. V.

1 **L**ectiones Isaiae hac nocte leguntur sine titulo; ea fortē ratione qua Hugo docet lib. 2. cap. 3. Capitula legi sine titulo, quando scitur auctor; & Isaías in toto Aduentu lectus est, ita vt pateat eius nomen. Dicerem cum P. Ruiz, iam

iam non per Prophetas, sed in Filio Deum loqui.

2. Responsorialia videntur vagari; sed ait Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 15.* quem sequitur Gemma *lib. 3. cap. 9.* esse Xenia, quæ deferuntur partim Puero nato, partim Deiparæ. In primo verò Responsorio additur *Gloria Patri*, in gratiarum actionem de tanto beneficio, Gemma *cap. 7.*

3. In tertio Nocturno multiplicatur *Alleluia* ad Antiphonas; quia, ut aliàs diximus, tertium Nocturnum significat tempus gratiæ post legem; in quo significari debet lætitia per Christum natum nobis communicata, Amalar. *lib. 4. cap. 31.*

4. Diuiditur Matutinum à Laudibus, & inter utrumque cantatur Missa, ex *Microlog. cap. 34.* & Gemma *lib. 3. cap. 10. lib. 4. cap. 117.* qui ritus videtur habuisse ortum post Ordinem Romanum; in quo prima Missa celebratur expletis Vigilij, id est Nocturnis, & Matutinis, id est Laudibus (hoc enim nomine vocabantur Laudes) nisi dicamus fuisse peculiarem hunc ritum Cappellæ Pontificiæ, quæ eadem nocte tres Ecclesias, S. Mariæ Maioris, S. Anastasiæ, & S. Petri visitabat, & Missas solemnes celebrabat. Quidquid sit, cum Laudes pertineant ad diem potius quàm ad noctem, & prima Missa sit noctis, non diei; congruè præscriptum est, ut ea cantetur ante Laudes, & post Hymnum *Te Deum*, Gemma *dicto cap. 117.*

5. Laudes sequuntur Missam primam de æterna generatione, quæ prius extitit ante omnem creaturam quæ Deum laudare potuerit, Duran. *lib. 6. cap. 13.* & in prima Antiphona quasi choream ducimus ijs verbis, *Quem vidistis pastores*, &c. Duran. *ibidem.*

quam Antiphonam non videtur nouisse Amalarus, qui *de Ord. Antiph. cap. 15.* incipit ab ea, *Genui puerpera Regem.*

6. Prima summo manè dicta, cantatur altera Missa. Antiquiores aliqui ante Primam immediatè post Laudes cantabant secundam Missam, ex Gemma *lib. 3. cap. 11.* at S. Antoninus *3. par. Summ. tit. 13. cap. 6. §. 4.* cum Palud. *in 4. dist. 13. quest. 2. artic. 2. concl. 2.* refert de generali consuetudine, Missam secundam ante Primam horam Canonicam celebrari solitam; nisi eos explicemus cum Francol. *de Temp. Hor. Can. 1. par. cap. 16. num. 6.* non loqui de ritu Ecclesiarum Urbis. Addit *ibidem* Francol. idè Primam ante horam consuetam speciali lege recitari, ut Missa secunda in aurora cantari queat. Neque enim debet vnquam Missa cantari sine preparatione Chori ad illam per aliquam Horam Canonicam, ut *ibidem* auctor idem fusè probat, & exemplis confirmat. Neque dicas, sufficere Laudes ante Missam secundam; tum quia non debent diuidi à Nocturnis, nisi quantum Missa prima occupat temporis, quod intercedit, cum sint vnica Hora, ut notat *Nan. de Orat. cap. 3. num. 28.* tum quia à Laudibus ad auroram, in qua secunda Missa cantatur, multum adhuc superest temporis, ut nequeat congruenter sequi secunda Missa. Post Tertiam horam Missa tertia conuenit cantari, ut in Festis. Nihil est præterea in Officio notandum, nisi quòd Antiphonæ in secundis Vesperis, *Tecum principium*, sunt priuilegiatae, ut numquam omitantur infra Octauam; & de his est mentio apud Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 16.* ut nimirum fiat de Octaua Natiuitatis, præter morem aliarum

aliarum Octauarum de Sanctis, & non per solam commemorationem de eadem; & eò magis, quia intra eandem Octauam admittuntur quotidie Festa Sanctorum, quæ ab Octauis Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi vel omnino excluduntur, vel parçè in ijs admittuntur.

De Festis infra Octauam Natiuitatis Domini.

C A P. V I.

Civius classis erit S. Stephani Festum? Andreas Castaldus in *Carim. Cler. Reg. lib. 3. c. 5. num. 1.* innuit esse primæ classis. Mihi placet, vt dicatur secundæ classis; tum quia sequens Festum S. Ioannis non est nisi secundæ classis, vt aliorum Apostolorum; tum quia Stephanus & Laurentius in martyrio, Officio, Octaua, sepulchro sunt pares, concordant in tertia Antiphona ad Laudes, & in Oratione duplici, altera in Festo, altera in die Octaua. ex quibus sequitur, quòd hæc Sanctorum Festa cederent occurrenti Festo primæ classis. Habent priuilegium non commune alijs Festis secundæ classis, quòd de die infra Octauam eorum fit commemoratio in Festis eorundem, vt habetur in Breuiario.

2 Antiphonæ Festi huius & duorum sequentium sunt Gallicæ, ex Radulph. *Propos. 12.* & Lectiones primi Nocturni de sancto Stephano habentur etiam in Ord. Romano. Reliquum Officium tribuitur Alcuino ab auctore *Ligni vitæ lib. 5.* & à Schultingio. Officium S. Ioannis à S. Gregorio compositum asserit Schultingius. Duplicia sunt hæc duo Festa apud Dur. *lib. 7.* Orationes Missarû habentur in Sacrament. Gre-

gorian. Introitus, &c. in Antiphonario eiusdem: vbi & Festi sequentis Missa.

3 In Festo SS. Innocentû non dicitur *Te Deum*, quod lætitiâ sonat; quia descenderunt in Limbum, ait Microl. *cap. 36.* sed non placet, quia Ioannes Baptista item descendit in Limbum, in cuius tamen Decollatione dicitur *Te Deum*: potius ob lacrymas matrum, ait Amalar. *lib. 1. cap. 41.* In Dominica verò, & in die Octaua dicitur; quia in Dominica lætitiâ Resurrectionis Domini excellit super omnem lacrymam; & dies Octaua beatitudinem significat, vt alibi diximus.

4 Tertium hoc Festum puto item esse secundæ classis, cui datur Octaua; & de his Octauis Amalar. *lib. 4. c. 37.* meminit. Imò verò in Octaua Innocentum S. Augustinus duos habuit Sermones, vt scribit Possidius. Officium erat Semiduplex, Duran. *suprà.* Pius V. decreuit fieri Duplex. Officium à S. Gregorio, ait Schultingius.

5 Quid agendum, quando Festum ex tribus prædictis erit Patronus loci, seu Titulus Ecclesiæ? Respondeo, in secundis Vesperis Natiuitatis, etiam in Ecclesia propria sancti Stephani, idem fieri quod in vniuersali Ecclesia; quia in pari primæ classis maius est Festum Christi quàm Stephani, & ideò habet integras Vesperas utrasque.

6 Inter eadem verò Festa seruentur Rubricæ generales, vt Vesperæ primæ & secundæ sint de digniori Festo, id est, primæ classis, & Patroni, seu Titularis, cum commemor. minùs digni; & item de Octaua Natiuitatis, cuius etiam Antiphonæ ad Vesperas semper recitantur, vt serui cedant Domino medietatem Vesperarû, qui venit vergente mundi vespere pro salute

lute nostra. Ad Laudes verò non fit commemoratio de die infra Octauam aliam, excepta Natiuitatis Octaua, de qua fit semper cõmemoratio, vt in Rubricis generalibus, & nos supra Sect. 3.

7 Si Titulus Ecclesiæ (non Altaris maioris) fuerit Innocentum, erit consequenter primæ classis, & eo casu non negarem posse dici *Te Deum* in Officio, & concederem rubeum colorem cum suis consequentijs in Missa: quia, si hæc conceduntur ratione Dominicæ, in qua non est dolendum, cur dolemus in Festo Titularis Ecclesiæ solemni: eo prorsus modo quo conceditur in Missa *Credo* S. Ioanni Baptistæ, si in Dominica venerit, & quando celebratur in propria Ecclesia: quod idem dicitur in Festo S. Laurentij; ergo æqualia sunt fieri Festum in Dominica, & fieri in propria Ecclesia.

8 Hymni Innocentum de nouo fuerunt additi, licet eorum auctor sit antiquus. Vide *tit. de Hymnis pag. 73.*

9 Quæ diximus de prædictis, quando sunt Titulares Ecclesiarum, valent etiam de sequentibus Festis, S. Thomæ Cantuariensis, & S. Siluestri: quibus tamen hodie negatur Octaua. In secundis Vesperis S. Siluestri Antiphonæ, *Tecum principium*, non habent amplius locum, terminatæ iam in primis Vesperis eiusdem; ergo sumendæ erunt de Comm. Conf. Pont. & fit commemoratio Circumcisionis.

10 De Dominica infra Octauam Natiuitatis Rubrica clara est. Quòd si tota Octaua, vt in quibusdam Ecclesijs vidi, impedita sit Festis Duplicibus, de eadem fiat commemoratio eo prorsus die, quo vniuersalis Ecclesia facit de eadem Dominica Officium, vel commemorationem. Officium verò Dominicæ, si ea occurrat in Festo

S. Siluestri, non deperit; quia Lectio- nes primi & secundi Nocturni in præcedenti Sabbato leguntur. Vide cultum Dominicæ diei, qui non perit.

11 Occurrit in Vrbe N. Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis in Festo SS. Innocentum; quæ situm est à me, qualiter Officium recitandum erit: Respondi, ex vi Rubricarum, in primis Vesperis, post Antiphonas & Psalmos de Natiuitate, Capitulum cum reliquis dici debere de Dedicacione, & cum commemoracione S. Ioannis, cuius festum est Duplex secundæ classis, & Natiuitatis Domini, quæ numquam omittitur: de S. Stephano nihil fit in Festo primæ classis. In Laudibus & Missa de Dedicacione fit tantum commemoratio de Natiuitate. In secundis Vesperis, Antiphonæ, & Psalmi de Natiuitate, Capitulum, Hymnus, &c. de Dedicacione; commemoratio de sequenti Festo S. Thomæ, vel Dominica, & de Natiuitate, non de diebus infra Octauas SS. Stephani & Ioannis, ex Rub. de Commemorationibus num. 4. in fine. Non fit Octaua de Dedicacione, quia prohibita est in postrema recognitione Breuiarij. Festum Innocentum regulariter erit celebrandum in die Octaua eorumdem; & quia de ipsidem non fit Octaua, poterit dici *Te Deum* cum consequentibus, vnà cum vniuersali Ecclesia, & interim non fiet vlla de ipsidem commemoratio. Sed eo anno, quo Festum hoc occurrit in Feria, celebrabitur in Sabbato sequenti, quod eo casu erit dies infra Octauam Natiuitatis; intra quam fit de Duplici, & præsertim secundæ classis, etiam translato: eo autem anno, quò occurrit in Sabbato, tunc celebrabitur in Feria secunda sequenti; quia de duobus Festis

stis translatis, Innocentium & S. Thomæ, de digniori prius est recitandum Officiū; & Festum S. Thomæ celebrabitur prima die non impedita post Octauā Epiphaniæ, ex *vulgatis Rubricis*.

12 Circumcisionis Festum de Christo recens est, vt alibi docuimus Tomo primo. Antiphonæ probant esse de B. Virgine Festum, *O admirabile commercium*; quas commemorat Amalar. *lib. 4. cap. 32*. Oratio confirmat, *Deus, qui salutis æternæ*: de qua Microl. loco citato. Officiū enim Missæ licet habeatur in Antiphonario Gregorij, est tamen posterius S. Gregorio, vt *ibidem* Pamelius probat. In secundis Vesperis non fit commemoratio de diebus infra Octauas SS. Ioannis & Innocentium, quia de his non fit Officiū die sequenti, vt dicitur in Rubr. de *Commemorat. 9. num. 6*.

13 In secundis etiā Vesperis Octauæ S. Ioannis concurrentibus cum primis Vesperis Octauæ Innocentiū, fit tantum commemoratio de Innocentibus, vt integræ Vesperæ sint de digniori, ex Rubric. de *Concurrentia Officij 11. n. 2*.

14 Erant hæ tres Octauæ Semiduplices in Breuiario 1550. edito: Duplices à Pio V. qui addidit omnes Lectiones. Oratio S. Stephani est Ambrosiana.

De Epiphania Domini.

CAP. VII.

1 **V**igilia Epiphaniæ habet Officiū Semiduplex, quod nuper expressum est in Breuiario, licet exclusio Precum ad Primam erat sufficiens indicium ritus Semiduplicis. Si occurrat in hac Vigilia Festum Duplex, fit de Vigilia commemoratio tantum, cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ: quia Duplici Of-

ficio occurrenti eodem die cedit Semiduplex. De Duplici translato non fit in ea, quia est Officiū nouem Lectionum, cui etiam Dominica cedit. Si occurrat in ea Festum Semiduplex, transfertur hoc post Octauam Epiphaniæ, eadem de causa; & quia est longè superior quàm Feria 6. post Octauam Ascensionis, quippe quæ habet Euangelium proprium, æquiparatur in multis Vigiliæ Natiuitatis Domini, vt in Rub. de *Vigilijs num. 2. & 5*. Quod si fuit conceſſum Hispanià à Gregorio XIII. posse in hac Vigilia fieri Officiū de S. Thoma Cantuariensi, ob Festum translationis S. Iacobi, est singulare priuilegiū, non lex.

2 Antiphonæ, *Ante luciferū genitus*, habetur apud Amalar. de *Ord. Antiph. c. 23*. Quarta Antiphona, *Maria, & flumina*, &c. non visa est aliquibus ad rem presentem: sed meminerint duorū miraculorū, in aquis Baptismi Christi, & in Cana ad nuptias; de quibus in Hymno, & in Antiphona ad *Magnificat*.

3 Matutinum incipitur ex abrupto ab Antiphona, & Psalmo; quia, visa stella, statim venerunt Magi, tuto nuntio, non loquente, Duran. *lib. 6. cap. 16*. omittitur etiam Inuitatorium, ad detestandam fraudulentam Herodis inuitationem ad Christum adorandum, Alcuin. in *Epiph.* tum etiam, quia Psalmus *Venite* dicendus est in tertio Nocturno. Hymnus etiam non cantatur primo die, quia perfectorum est cantare Hymnos; conuersio verò Gentium in solis Magis perfecta non erat, Duran. *ibidem*.

4 Infra Octauam verò dicitur Inuitatorium nomine Magorum alios inuitantium ad adorandum Christum, Dur. *ibidem*.

5 Psalmi apud Alcuinum habentur,

cur, excepto, quòd Psal. *Deus noster refugium, & virtus*, nunc cantatur in primo Nocturno secundum ordinem Psalterij, qui aliàs cantabatur in tertio. Vnde & hodie retinet Antiphonam cum *Alleluia*, qui est ritus tertij Nocturni, vt diximus in Natiuitate Domini *sup. cap. 5. n. 3.* & vsque ad tempora Io. Beleti perseverauit, sed præpostere, ait Alcuinus. restitutus est igitur Nocturno primo secundum ritum Romanum, teste Durando *loco citato.* Item Psalmus *Venite*, qui, ex Gemma *lib. 3. cap. 20.* cantabatur in fine secundi Nocturni, nunc in principio tertij dicitur, docente Durando, & cum peculiari Antiphonæ repetitione; ad indicandum, quòd in tempore gratiæ per tertium Nocturnum significato, inuitata est Ecclesia de Gentibus per Magos, & stellam: repetita ideò Antiphona sapiùs, *Venite adoremus*, vt confluant vndique omnes. Cantatur autem hic Psalmus vel à duobus Cantoribus, vel meliùs à quatuor, duobus hinc inde alternatim cantantibus Versus eiusdem, & Choro semper Antiphonam repetente.

6 Infra Octauam pro Psalmo *Venite* alius substituitur, ne idem Psalmus bis dicatur, in Inuitatorio, & in tertio Nocturno. Psalmi desumuntur è Ferijs 2. 3. 4. 5. 6. sed plures è Feria sexta, fortasse quia in hac eadem Feria Magi adorauere Christum, vt innuimus *Tomo 1. par. 4. tit. 3. num. 15.*

7 Hymnus ad Laudes à Pio V. mutatus; erat enim antiquus, ab Hymno Natalis Domini desumptus, *Enixa puerpera Regem, &c.*

8 De Dominica infra Octauam Epiphaniæ, quando Epiphania occurrit in Dominica, fit in Sabbato præcedenti diem Octauam. Sed quæritur,

cur in ipsamet die Octaua, quæ occurrit in Dominica, non fit de Octaua Epiphaniæ cum commemoratione Dominicæ primæ post Epiphaniam? Fieret enim (vt in Duplicibus per annum occurrentibus in Dominica) vtrique satis. Conijcio ego hanc esse causam; scilicet, ne ordine peruersio vitæ Christi, quæ ab Ecclesia representatur in Officio diuino per totum annum, Christus legatur trigessimum annum agens, antequam representetur duodennis, ætatis, inquam, annorum duodecim: nam, si in die Octaua, quæ habet Euangelium de Baptismo Christi, fieret commemoratio de Dominica prima post Epiphaniam, quæ habet Euangelium de Christo duodenne, inter Doctores Dei causam agente, tam in Officio quàm in Missa legeretur priùs Euangelium de die Octaua, quàm de Dominica; quod esset inconueniens, & ordo peruersus. Fiat ergo Officium de Dominica in Sabbato, in qua Christus est duodennis; deinde sequenti die fiat de die Octaua, in qua est tricenarius; & ordo seruabitur historicus vitæ Christi: qui ritus habetur in Breuiario M. S. anni 1300. Perulizæ Sacristiæ.

9 Adhuc quæritur, & casus accidit, si Patronus loci incidat in Sabbatum, in quo faciendum est Officium de prædicta Dominica prima, An Officium Dominicæ anticipandum erit Feria sexta, quod aliqui scripsere. Ego respondi, non esse anticipandum; quia in Sabbato sufficit fieri commemorationem de Dominica prima cum Homilia pro nona Lectione, argumento à simili, quòd, quando Dominica 23. post Pentecosten non habet propriam sedem in Dominica, neque Feriam in tota præcedenti Hebdomada in qua possit poni

poni Officium Dominicæ 23. eo casu, in Officio nouem Lectionum in Sabbato fit commemoratio de Dominica 23. cum nona Lectione, vt expressè habet Rubrica de Dominicis num. 4. in fine. ergo & eodem modo satis est, si fiat hoc loco. In secundis autè Vesperis prædicti Patroni Concurrentibus cum die Octaua Epiphaniæ fit commemoratio tantum de die Octaua, vt in Rub. de Concurr. Officij num. 2. Quæ verò dicimus de Patrono, eadem dicitur de Titulari Ecclesiæ, vel eiusdem Dedicatione, ex Rubr. 11. num. 7.

10 Lectiones Epistolæ primæ ad Corinthios, ex Decreto Gelasij, ponuntur in Dominica ipsa prima post Epiphaniam, non in Officio Dominicæ, si fiat in Sabbato; quia initia librorum Scripturæ, quoad eius fieri potest, magè cõgruunt diei Dominicæ, quæ est initium Hebdomadæ: & hoc in vltu fuisse, vt à die Natiuitatis legatur Apostolus, tradit Ruper. lib. 4. de Diuin. Offic. cap. 6.

11 Dies Octaua Epiphaniæ de Baptismo Christi est, Amal. lib. 4. cap. 34. & antiquum Officium de Baptismo erat; nunc autem Euangelium tantum habetur. Semiduplex erat Officium in Breuiario edito Venetijs anno 1521. nunc est Duplex.

12 Quando Epiphania Domini occurrat in Feria tertia, accidit in Sabbato ad Vesperas, quòd pro commemoratione Epiphaniæ dicitur Antiphona, *Omnes de Saba veniunt*: & in hoc casu mutatur Versus, ne eadem Antiphona cum Versu sit idem. Dicitur autem Versus de Laudibus Epiphaniæ, *Adorate Deum*, &c. si occurrat Feria 2. in primis Vesperis diei Octauæ, pro commemoratione Dominicæ dicitur Antiphona, *Fili*, &c. cum *Omnes de Saba*.

De Dominicis post Octauam Epiphaniæ.

C A P. V I I I.

Dominicæ post Epiphaniam vsque ad Septuagesimam vel ad summum sex, vel ad minimum vna esse possunt; & idè positum est Officium sex Dominicarum. Quòd propior est vel remotior Septuagesima, quæ à Paschatis mobilitate pendet, eò plures vel pauciores sunt Dominicæ infra hoc tempus: quæ supersunt, transferuntur post 23. Dominicam post Pentecosten, qua de re nos egimus supra Sect. 3. cap. 5. pag. 25.

2 De Dominica secunda post Epiphaniam semper fit Officium ante Septuagesimam, saltem in Sabbato præcedente eandem Septuagesimam; vel in die prima post Octauam Epiphaniæ, Microl. cap. 41. translato, si opus est, Festo Semiduplici, & hoc duplici de causa; Primò, vt ordine historico sequato de vita Christi, legatur, post eiusdem Baptismum, primum miraculum in Cana Galilææ factum, antequam quidquam aliud in sequentibus Dominicis de eo narretur. Secundò, vt Officium & Responsorialia Dominicarum post Epiphaniam semel dicantur suo proprio tempore, nec omitantur omnino. De quibus Responsorijs è Psalmis meminit Amalar. de Ord. Antiphon. cap. 27.

3 Dices: In prædicto casu quodnam Semiduplex erit transferendum, vt eo die fiat de Dominica secunda post Epiphaniam: Respondeo, in Ecclesia vniuersali Festum S. Hilarij, transferendum erit in diem 23. Ianuarij, quidquid alij notarint in Calendarijs, S. Hilario parentes; quia in

P 3 Ru-

Rubrica propria dicitur, *Prima die post Octauam*. Videbatur tamen parcendum S. Hilario, qui in primis Vesperis participare solet de proprio die in quo obiit, magis quam S. Paulus Bremita, qui obiit infra Octauam Epiphaniae; sed verba Rubricae sunt attendenda simpliciter, quae generatim posita sunt iustioribus de causis, & praesertim ad faciliorem executionem.

4. Quid si Festa omnia per Hebdomadam sint Duplicata eo casu erit satis commemorationem fieri Dominicae 2. in Sabbato; & omittuntur Responsoriora de tempore.

5. Si Octaua celebretur in ea Hebdomada, tunc fiat prima die de Feria, quia dies infra Octauam cedit Semiduplici; ergo & a fortiori etiam huic Officio Dominicae 2. sed omittendae tamen erunt Praeces cum Suffragijs ratione Octauae.

6. Epistola S. Pauli, quae non possunt legi in primo Nocturno, seu in feriali Officio, infra hoc tempus vsque ad Septuagesimam, eo anno omittuntur: quia vnus liber omnium Epistolarum S. Pauli tamquam vnus auctoris reputatur; & antiquiores non legebant de Epistolis Pauli, nisi vsque ad eam quam ille scripsit ad Ephesios inclusiuè.

7. Officium Dominicae 3. vel 4. vel 5. vel 6. si post Epiphaniam minus habeat locum, neque item post Pentecosten; de ea, quae locum vllibi non habet, fiat Officium in Sabbato, vel in alia Feria praecedenti, non ad libitum, sed impedito Sabbato ob Festum nouem Lectionum, & non trium B. Virginis: vel fiat commemoratio saltem in Sabbato, ne prorsus omittatur, vt in Rubr. *de Dominicis num. 5.* quae remittit nos ad formam datam in numero quarto *ibidem*. Quod si in Feria pra-

dicta fiat de Festo Semiduplici translato, satis erit, quod in Sabbato fiat commemoratio Dominicae vt supra, ne translatum Semiduplex sine necessitate adhuc vltra transferatur, vt decretum est in postrema recognitione Verba Breuiarij, nulla enim est necessitas, quando saltem in Dominica 2. dicta sunt Responsoriora de tempore.

8. Dominica sexta Officium cum suo Euangelio est de nouo iure Pij V. in qua antiquiores repetebant Officium Dominicae quinta post Epiphaniam.

De Septuagesima, & Dominicis sequentibus.

C A P. I X.

1. **D**epositur in Septuagesima *Alleluia*, bis eo cantato & repetito in fine primarum Vesperarum Dominicae, ex Decreto Alexandri II. vt ait Mierol. *cap. 47.* & Baron. ann. 1073. qui ritus in Martyrologio ad Primam pronuntiat; & deponitur cum reduplicatione, ad maiorem significationem, & emphasim.

2. *Alleluia* significat Christum, sine quo nunc representatur genus humanum, ob peccatum Adae, de quo fit mentio principalis in Septuagesima, Ruper. *lib. 4. cap. 5.*

3. Pro *Alleluia* dicimus humilior Latina lingua, *Lamus tibi Domine*, &c. ex Alcuino: quia tempori congruit humilitas, ob memoriam peccati originalis. A Musicis pro *Alleluia* dicitur, *In aeternum*, Io. Belet de *Diuin. Offic. cap. 79.* sed a recitantibus Officium omittitur *Alleluia* in Antiphonis, vbi est, & eius loco nihil dicitur.

4. Inuitatorium *Praecipimus* anticipatur in Septuagesima Pij V. cum sit

fit eiusdem rationis cum sequentibus Dominicis.

5 Lectiones de Genesi, ex Decreto Gelasij, & Ord. Romano. Responsoria de eadem Genesi recitari iussit Alexander II. ex Microl. loco citato, amoris alijs quæ dicebantur cum *Alleluia*: cum non deceat (inquit Leo IX. de *Consecr. Distinct. 1. Hi duo.*) cantare *Alleluia*, quando recolimus primi hominis calum in Lectionibus.

6 In Sexagesima dicuntur Responsoria de Historia Noë, ex Decreto Gregorij VII. teste Radul. *Propos. 16.* cum antea, ex Decreto Alexandri II. repeterentur Responsoria Septuagesimæ. Collecta Sexagesimæ non impedit commemorationem communem de sancto Paulo in Officio. Vide in *Tom. 1. de Sexag. pag. 235. num. 15.*

7 In Quinquagesima Respons. de Abraham dici iussit Gregorius VII. ex Radulpho loco citato.

8 Data sunt Antiphonæ propriæ ad *Magnificat* ferè omnibus Ferijs Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ; de quibus antiqui nihil dicunt. Si Antiphonas spectes, eæ propriæ sunt: quia hæ Feriæ non sunt ita communes, vt aliæ per annum; neque ita propriæ, vt Feriæ Aduentus, & Quadragesimæ, quarum Antiphonæ numquam omittuntur. Si Ferias attendas, in Feria 6. nulla est Antiphona; quia saltem de S. Maria in Sabbato fit in Vesperis à Capitulo. In Feria quinta Sexagesimæ, & item sexta in anno bisextili, dicuntur Antiphonæ quæ in præcedentibus Ferijs fuerunt omisæ, si occurrat feri de Sancto in iisdem; vel certè de Psalterio sumuntur, non autem de Ferijs Septuagesimæ, quarum Antiphonæ, si omittantur ob Festa Sanctorum, non resumun-

tur in sequenti Hebdomada, quod perperam scripsere aliqui in Calendarijs Ecclesiarum particularium: neque Rubrica de his Antiphonis posita ante Feriam 5. Sexagesimæ se extendit ultra suam Hebdomadam. Si verò numerum obliues Antiphonarum, mysterij aliquid fortasse inest: tum quia nouem eæ sunt omnes; tum quia inter eas certus quidam est gradus non nisi congruus (ex Maiorum saltem auctoritate qui eas decreuerunt) vt nimirum quatuor Antiphonæ in Vesperis sint assignatæ Ferijs Septuagesimæ, tres Ferijs Sexagesimæ, duæ Ferijs Quinquagesimæ.

De Feria quarta Cinerum.

C A P. X.

1 **E**st priuilegiata hæc Feria, in qua occurrens quodcumque Duplex transfertur, ex Decreto Clementis VI. anno 1352. vt ego legi in Martyrologio M. S. antiquo in Bibliotheca Fortunati Scacchi, sacri Palatij Sacriste, de sacris Litteris optimè meriti: & habetur in Breuiario edito Venetijs 1549. quia eo die conuenit, vt populus Christianus pœnitentiæ publica det indicia.

2 Omnia ergo fiunt vt in Quadragesima, ait Microl. *cap. 49.* & ad omnes Horas, inquit *cap. 50.* genuflectimus, hoc est, dicuntur Preces. Nam, quia nos augere debemus pensum seruitutis nostræ, præsertim in Precibus, ex S. Gregorio relato à Radul. *Propos. 16.* hinc factum est, ex eodem Radul. quòd dicantur his diebus feriales Preces cum Officio Psalmorum, Gradualium, & Pœnitentialium.

3 Duæ Orationes dicuntur quotidie in feriali Officio, quarum secunda est Vesper-

Vesperarum propria; quia in Missa due item dicuntur super Populum, altera initio, altera in fine: cuius rei causam dedimus, cum de Missa Sacrificio, Tomo priore.

4 Nondum dicuntur Vesperæ ante comestionem, vt referuetur prerogatiua Dominicæ sequenti, quæ est caput Quadragesimæ, cuius primæ Vesperæ dicuntur in Choro ante cœnam; & deinceps idem fit in diebus ferialibus, ex Conc. Cabilonen. de Consecr. Dist. 1. Solent.

5 Dixi ante cœnam, quia antiquitus soluebatur ieiunium hora cœnæ in Quadragesima post Vesperas: & licet horam anticipemus, retinemus tamen vocabulum cœnæ, cui benedicimus ea Prece quæ adhibetur ad cœnam, *Edent pauperes*, &c. vt in fine dicitur Breuiarij. Quia verò non possumus ieiunare diebus & noctibus, sicuti fecit Christus, ieiunemus saltem vsque ad horas diurnales inclusiue, hoc est, dictis Vesperis, vt ait Archid. in cap. Solent. de Consecrat. cit.

6 Extra Chorum non tenemur ante comestionem recitare Vesperas, quia Concilium Cabilonen. intelligitur de publica in Choro recitatione; cui tamen congruum est vt conformemur in priuata quoque Vesperarum recitatione.

De Dominicis Quadragesimæ.

C A P. X I.

Inuitatorium Dominicæ primæ, *Non sit vobis vanum*, &c. composuit Amal. ex VVion auctore *Ligni vitæ lib. 5.* & ille ipse meminit de *Ord. Antiph. cap. 35.* vbi docet tamen se transtulisse hoc Inuitatorium in hanc Dominicam à media Quadra-

gesima, in qua ab alijs cantabatur. Primæ Lectiones interrumpunt quidem Lectiones de Genesi, sed indicant fructus pœnitentiæ, ex Dur. *lib. 6. c. 12.* Responsorij, ex Amal. de *Ord. Antiph. cap. cit.* sunt clauis tituli de conuersatione & statu totius Quadragesimæ. Oportet enim hoc tempore corrigere mores, ieiunare, plorare, orare, patientes esse, vigilare, pœnitere, elemosynam dare, quæ omnia in Responsorijs continentur.

2 Frequentatur Psalmus nonagesimus *Qui habitat*, &c. à quo plures Versus hoc tempore delinuntur: quia, inquit Amal. *lib. 4. cap. 19.* sumus in his diebus in maiori certamine tentationum; vel inde est, quia malè vltipauit hunc Psalmum satanas tentando Christum; contra quem repetimus eundem in proprio sensu: *Angelus suis mandauit*, &c.

3 Antiphonarum ad Laudes, *Cor mundum*, &c. meminit Amal. de *Ord. Antiph. cap. 36.*

4. Cantabatur in diebus nostris Hymnus *Ad preces nostras* in secundis Vesperis, qui non erat antiquus, & ratione metri scatebat erroribus: tum nullum erat Festum quod quatuor gauderet Hymnis, ad primas Vesperas, Nocturnos, Laudes, & secundas Vesperas, præter Dominicas Quadragesimæ; & occupatis Ferijs secundis à Festo Duplici (quando Pascha occurrit die 22. Aprilis) eo anno nunquam recitabatur. quibus omnibus consideratis, in Recognitione Breuiarij Clementina de Breuiario fuit ademptus. De alijs tribus Hymnis diximus *Sect. 5. cap. 6. pag. 68.*

5 In Feria secunda sequenti ad sunt Capita propria pro omnibus Horis ferialibus Quadragesimæ, de quibus mentio

mentio est apud Duran. *lib. 6. cap. 28.*
 6 De Quatuor Temporibus nihil fit in Officio. Et de his iam diximus Tomo priore.

7 Dominica secunda cur habeat Euangelium Sabbati præcedentis, habes in Tomo priori. Fortè legitur, quia initio Martij, transfiguratus est Christus, si Beletho credimus, de *Diurn. Off. cap. 144.* anno Christi ultimo: & in Dominica, hora quarta diei, ut scribit S. Epiph. cit. ab Azor. *par. 2. lib. 1. c. 15. quest. 4.* Antiphonæ ad Laudes, *Dominus labra mea,* &c. habentur apud Amalar. de *Ord. Anisph. cap. 38.*

8 Dominica tertia habet easdem Antiphonas ad Laudes, *Fac benigne,* &c. quas recenset idem Amalar. *cap. 40.*

9 In sequenti Feria quinta est Oratio singularis de SS. Cosma & Damiano; quia Statio fit in eorum Ecclesia, quam dedicavit Romæ in foro beatio Felix IV. ex Rupert. *lib. 8. cap. 2.* Sed in lib. Sacramentorum S. Gregorij non habetur hæc Collecta; & alias diximus, à Gregorio II. data esse Officia Ferijs quintis. *Quadragesima.* Quis igitur Collectam composuerit, est incertum; cum in lib. cit. sancti Gregorij I. habeatur Oratio alia cū Secreta & Postcommunione, quarum auctor dicitur Gregorius II. ergo non est Gregoriana, neque Primi, neque Secundi. Non tamen impedit commune Suffragium de iisdem Sanctis in Ecclesia eorundem. qua de re in Tomo 1. *pag. 236.*

De Dominica Passionis.

C A P. X I I.

IN primis Vesperis, etiamsi sint de Sancta, teguntur Cruces & Imagines; omittuntur Suffragia, seu commuges commemorationes

Sanctorum, ut ad Christum hoc tempore sit vnicum refugium nostrum; nec de Pace loquimur, quia representatiuè moritur ille, & nondum surrexit, qui deinde dixit, Pax vobis, Duran. *lib. 6. cap. 60.*

2 Ad Completorium de Tempore, & ad Horas minores (non autem de Sanctis) in Responsorio breui, item in omnibus Responsorijs omittitur *Gloria Patri*, Ordo Romanus; sicut etiam in Inuitatorio, ex Concil. Tolet. *can. 15.* *Gloria Patri*, inquit Concilium, in fine Responsoriorum in latis sequitur, in tristioribus verò reperitur principium: quod ideò fit, ut compaginemur humilitati Christi, omittendo excelsa nostra eo tempore quo ipsa Trinitas dehonestatur in persona Christi, ait Alcuinus.

3 In Psalmis tamen nondum taceatur *Gloria Patri*; quia Psalmi, ut diximus supra, significant opera, & nondum Iudæi operibus, sed linguis tantum, de nece Christi agunt. In triduo verò maioris Hebdomada remouetur à Psalmis; quia opere compleuerunt Iudæi necem Christi. Hæc Dur. *lib. 6. cap. 60.*

4 Ieremias legitur, ut in Ord. Rom. & ex Decreto Gelasij, ob causam allatam supra *Secl. 5. cap. 12. num. 8. pag. 85.* De Hymnis diximus eadem *Secl. cap. 6.*

5 In Feria 2. sequenti habemus eadem Capitula, quæ indicat Duran *cap. 61.*

6 In Feria 5. Antiphonæ ad *Benedictus* & *Magnificat*, contra morem præcedentium Feriarum, discordant ab Euangelio Feriæ. Quare? tum quia de Passione sunt, congruentissima tempori; tum quia meminisse debes, Feriam hanc non habuisse proprium Euangelium ante tempora

Q

Gre-

Gregorij II. vt dixi *cap. preced. num. 9.* Et licet in alijs precedentibus Ferijs quintis, addito Euangelio, addita quoque sint, remotis alijs, concordantes Antiphonæ; tamen in hac vltima Feria quinta, addito Euangelio, non sunt mutatae priores Antiphonæ, vt antiqui ritus vestigium aliquod remaneret in hanc vsque diem.

7 In Sabbato Palmarum Euangelium legitur, quod historicè conuigit pridie Dominicæ Palmarum: nam ibi dicitur, *In crastinum autem, &c.* qua de re scribit Durandus *lib. 6. cap. 66.* quòd quædam Ecclesiæ hoc idem Euangelium legebant hac die, non omnes: nam alia, ex Ruper. *lib. 5. c. 6.* & eodem Duran. *ibidem*, legebant in Sabbato, *Ante sex dies Pasche*, & in Fer. 2. Palmarum, *Cogitauerunt, vt Lazarum interficerent.* Quem ritum nostrum quis non videat aptiorem esse ad mysteria quæ celebramus? & conformior est Breuiario & Missalibus M. S. antiquis, & prælo etiam datis ante annum 1550.

8 Quæritur, An in concursu Festi nouem Lectionum cum Dominicis Passionis, seu Palmarum in Responsorio breui Completorij omittendus sit versus *Gloria Patri*: & quidem certum est, quod in concursu Festi Duplicis non omittitur, ratione cuius Completorium est festiuum, in quo idcirco non dicuntur Preces. Controuersia fuit de Festo Semiduplici, de quo tamen diximus *Sect. 5. c. 14. n. 2.* quòd in secundis Vesperis Dominicæ Passionis inchoato Festo per commemorationem Semiduplicis, ea quæ sequuntur festiua censentur: at in primis Vesperis Dominicæ Passionis, seu Palmarum, Completorium sequens habet magis de ratione Dominicæ

iam inchoatæ in Vesperis, quam de ratione Festi iam finiti; & ideo debet omitti versus *Gloria Patri*. Neque obstant quæ in ferè simili casu diximus *Sect. 5. c. 6. num. 15.* quia aliud est mutare formam glorificationis SS. Trinitatis in fine Hymni Completorij, quæ in re nihil deperit Officio Dominicæ, quod eiusdem sit proprium: aliud est omittere glorificationem eandem in Responsorio breui, quod est proprium Dominicæ Passionis.

De Dominica Palmarum, & Hebdomada maiore.

CAP. XIII.

1 **E**uangelium Palmarum cum Homilia in Officio legi, scribit Microl. *cap. 52.* reliqua concordant cum antiquis. In Capitulo Nonæ non genuflectitur ad ea, *In nomine Iesu, &c.* eadem ratione qua non genuflectitur in Responsorijs ad ea, *& Verbum caro, &c.* neque in verbis Precum fit signum Crucis ad ea, *Deus in adiutorio meo, &c.* Sunt enim actus proprii, non communes vbiq; iisdem verbis.

2. In Feria 3. & 4. nulla Homilia, quia in Missa nullum Euangelium, in qua Passio Christi secundum Marcum & secundum Lucam legitur. De Ieremia legitur vt in Dominica precedenti; quia de Passione Domini propius scribit.

3. Feria quintæ discordat Officium à Missa, quæ est de sanctissimo Sacramento.

4. In Horis Canonicis huius tridui celebramus exequias triduanas mortis Christi, ait Rupert. *lib. 5. cap. 24.* sine initio inchoamus Matutinum, Ordo Rom. & Horas item: & sine fine solum

to imponimus finem; quia Christus moritur, alpha & omega, principium & finis, Ruper. *ibidem* cap. 14. & 25.

5 Inuitatorium omittitur, Ordo Roman. in detestationem inuitationis Iudeorum ad conciliabula contra Christum, Alcuin. *cap. in Coena Domini.*

6 Quindecim candelae accenduntur in candelabro triangulari, ad fidem de sanctissima Trinitate denotandam, quae tunc vigeat in B. Virgine, Apostolis, & tribus feminis Mariae nomine insignitis, ex Io. Belet. *cap. 101.* Numerus autem candelarum erat tunc apud quosdam, quem vniuersalis Ecclesia recepit, vt in Breu. edito Vener. 1550. habetur: antiquiores enim vel non indicant numerum, in Breu. M. S. vel diuersum numerum, in Ord. Rom. 24. candelarum; vel alium numerum in diuersis locis diuersum. lege Io. Belet. *loco citato.* Candelaeque debent esse ex cera communi, non alba, ex Carim. *Episc. lib. 2. cap. 22.* quia color est obscurus; quindecim conformes, *ibidem*; & in Altari sex eiusdem generis cera, *ibidem.*

7 Candelabrum triangulare à latere Epistolae collocandum est, vt in Carimon. *cit. loco*: quia sinistrum cornu Altaris est, quod in Missa Hebraeos significat, ad quos primò venit Christus, Iuo Carnot. *Serm. de Conuenientia noui & veteris Sacrificij.* fuerunt enim Apostoli ex Hebraeis: nisi velimus, in sinistro latere portendi sinistros euentus in Christo.

8 Prima Antiphona est, *Zelus domus tua,* &c. in Ordine Rom. Psalmi verò & Antiphonae finiuntur cum modica deflexione vocis, ad distinctionem, ex Directorio Chori antiquo; praesertim, quia non dicitur in huc *Gloria Patri*, ob causam allatam

suprà cap. 12. num. 3. pag. 121. Signum Crucis adhiberi potest ante Antiphonam, *Zelus domus tua,* vt ante Officiu fieri solet ad Verf. *Deus in adiutorium.* Ante omnem actum manus pingat Crucem, ait S. Hier. & his praesertim diebus, quibus Crucis vexillum prodit.

9 Ad vnumquemque Psalmum extinguitur vna candela, Amal. *lib. 4. cap. 22.* vna post aliam; quia Apostoli paulatim defecerunt à Christo, Belet. *cap. 101.* Et primo loco extinguitur ea quae est vltima in latere Euangelij, Carim. *Episc. loco citato.* & deinde ab alio latere, & sic successiuè, Ordo Rom.

10 In fine Psalmorum cuiuslibet Nocturni dicitur totum secretò *Pater noster*; quia, inquit Durand. *cap. 72.* de Euangelio est, & Euangelica enuntiatio fugientibus Apostolis cessauit. Christus etiam orauit in Passione auius ab alijs, & valde secretò, idem *ibidem.* Trepidabant Apostoli in precibus, Gemma *lib. 3. cap. 88.*

11 Neque dicitur, *Iube Domne, nec, Tu autem Domine,* &c. Ordo Rom. quae significant, vt aliàs docuimus, euntes ad praedicationem, & ab ea redeuntes; & hoc loco sic explicat Gemma *loc. cit.* vbi etiam addit, non dari benedictionem ante Lectiones, quia Pastor recedit fons omnis benedictionis.

12 Lectiones primi Nocturni sunt de Lamentationibus Ieremiae, ex Decreto Gelasij *loco supra cit.* cum de Lectionibus. dicuntur Threni, id est Lamentationes, quae à Ieremia compositae fuerunt post dirutam Ierusalem, & templum eius exustum, anno mundi 3447. ex Tornello nostro. Threni dicuntur à Belet. *cap. 101.* ob

Q 2 Tre-

Trenarum montem, vbi animarum lamentationes, quæ illic puniuntur, sapius audiuntur; sed penes eum sit fides. Durandus ab eo accepit, & approbat *cap. 72.*

13 Alphabeto distinguuntur Versus Threnorum, *Aleph, Beth,* &c. quæ & debent dici à Lectore; tum ex more Hebræorum, qui Alphabeto vtuntur in Canticis nobilioribus, vt David in *Psal. 33. & 118.* Salomon *Prou. 31.* vbi laudat mulierem fortem: tum ex Hieron. in *Prologo Bibliorum*, quia Versus ipsi in Hebræo codice à characteribus Alphabeti ordine Alphabetico incipiunt; tum verò etiam, ex Duran. *loco citato*, ad increpationem Iudæorum, qui rem notissimam, vt Alphabetum, Passionem Christi negant. Fufius Durandus.

14 Terminus Lectionum Feriæ 5. vsque ad *Cogitant Dominus*, &c. habetur in Ordine Rom. cum exterminatione, inquit idem Ordo, in fine Lectionis: exterminatio verò est ea, *Ierusalem, conuertere*, &c. ex *Id. Beleth loco citato*, quæ cum geminatione fit, *Ierusalem, Ierusalem*; exemplo Christi, qui *Matth. 23.* hac geminatione vsus est, vt notauit Mich. Timoth. in *Dis. Offic. quest. 68. tract. 3.*

15 Lectiones secundi Nocturni, ex tractatu S. Augustini, *Exaudi Deus*, habentur in Ord. Romano.

16 Lectiones tertij Nocturni de Apostolo, ex Decr. Gelasij, vt etiam precedentes, nimirum de Eucharistia, *1. Cor. 11.* & Responsoria sunt eadem quæ in antiquis Breuarijs.

17 Antiphonæ ad Laudes cum reliquis concordant cum antiquis. Non dicitur Capitulum, sed tantum Versus, Antiphona cum Cantico Euangelico, *Pater noster*, & Oratio secretò.

Hæc in Ord. Rom. *Psal. Misere*, & Oratio *Respice*, habentur apud Beleth *cap. 102.*

18 Versus ille, *Christus factus est*, &c. erat in vsu in Breuarijs M. S. antiquis, & in edito anno 1550. cum eadem distributione in tres partes, pro triduo, quam nos hodie adhibemus, & ad omnes Horas. Dicitur semper genibus flexis, etiam ad Horas minores; & in fine Matutini dicitur cum *Psal. Misere*, & Oratione, si Matutinum separetur à Laudibus.

19 Sed cur Capitulum non dicitur, Versus autem dicuntur? Respondet Amalar. *lib. 4. c. 21.* maiorum minus est cantandi Capitulum, vt diximus supra *Sect. 5. cap. 15. num. 4. pag. 92.* minorum autem est dicere Versus. Cum igitur hoc Officium sit de Christi humilitate, taceant maiores, audiantur minores; & hi quoque minores ex Discipulis (vbi sunt mulieres) adhætere Crucifixo.

20 Psalmus *Misere* & Oratio humili voce dicuntur in Breuarijs M. S. ad designandum Apostolorum timorem, Duran. *loco citato*; Oratioque dicitur non à stante, vt alias, Sacerdote, Amalar. *lib. 4. cap. 21.* sed genuflexo, ex *Cærim. Pap. lib. 2. cap. 42. Cærim. Episc. lib. 2. cap. 22* & ex Breuario ipso in ijs verbis, *Omnes surgunt*: ergo non prius Celebrans surgit, nimirum ad imitandum Christi humilitatis exemplum. Neque salutatione Sacerdotali vtimur, hoc est, *Dominus vobiscum*, ad detestandam salutationem Iudæ, Amalar. *ibidem.* vel quia summus Sacerdos moritur, Alcuinus. In fine Horarum huius tridui non dicitur Oratio Dominica, nec aliud quidquam; quia nulla est Rubrica quæ id significet: &, quæ necesseario dicenda sunt,

sunt, satis apertè describuntur.

21 Fragor denique fit & strepitus, qui significant vel tenebras in Christi morte cum terramotu; vel concrepationem Iudæ, & tumultum cohortis, Duran. *loco cit.*

22 Extinctis præter vnam, quæ est in summitate candelæ, candelis omnibus, ex Alcuino, significatur primò defectus fidei circa 14. articulos à sancto Thoma enumeratos, Duran. *loco citato*. Quæ ratio à modernis Theologis exploditur, si de Apostolis loquatur: deinde tunc nondum erant 14. articuli fidei. Occultata candela, & rursus ostensa populo, vt fragor cesset, designat Virginem Matrem, in qua super Apostolos fides excelluit; vel denorat Christum mox redituum futurum in resurrectione, ex Amalar. *lib. 4. cap. 22.* vel fidem Ecclesiæ eotempore occultatam, Duran. *loco citato*. Candelas Altaris extinctas cum alijs, significare docet Prophetarum mortem, & Iudæorum cæcitatem, Rup. *lib. 5. cap. 26.*

23 Horæ minores recitantur demissa voce, vt in Rubr. propria, quæ eadem est cum antiquis, & in Ord. Rom. nequæ legitur Martyrologium, neque dicitur *Pretiosa*, ratione allata supra *Sect. 5. c. 18. n. 17. pag. 104.* cum de Suffragijs Sanctorum. Vesperæ eadem quæ in Ord. Rom. excepta Oratione. Completorium inchoatur à *Confiteor*, ex vsu communiori, quem firmavimus Rubrica clariori in postrema Breuiarij recognitione.

24 Cur autem hæ demissa voce, quæ sunt Horæ diurnæ, alta voce nocturnæ dicuntur? quia Propheta obsecrariis, sed liberius de Christo sunt locuti: Apostoli, qui ad diem Christi, quem vidit Abraham, & gauisus est,

attinent, in passione eiusdem vix audiebantur, Bebeth *cap. 102.*

25 Lectiones Feriæ sextæ eadem sunt quæ in Ord. Rom. vii etiam Antiphonæ, & Psalmi. de Sabbato nihil occurrit noui. Atque in hoc triduo, ait Alcuin. *de Cæna Domini*, insinuatur, quòd Dominus descendens ad inferos, tria hominum genera rapuit, & transiit ad nouem Ordines Angelorum, quos designant tres Nocturni cuiusque Officij, hoc est, vt exponit Amal. *lib. 4. cap. 21.* qui in agro, molendino, & lecto esse dicuntur, *Luca 17.* qui sub lumine, & lege naturali, qui sub Moysaica, & qui sub Prophetis: vel, vt exponit Dur. *lib. 6. cap. 22.* Virgines, Coniugati, Continentes.

26 Vesperæ Sabbati in fine Missæ dicuntur, vt in Missali. Extra Missam qui recitarit, dicat *Pater*, & *Aue*, & sine principio, hoc est, *Deus in adiutorium* (quidquid scribant alij contra Rubricam Breuiarij apertam) quia nondum Caput nostrum redijt in resurrectione, cum Antiph. *Alleluia*, ad modum Duplicis: recitet Psalmum, & quæ sequuntur in Breuiario; quibus finitis, nihil aliud addatur nisi *Pater noster*, vt hæ Vesperæ (quas non habet propriè hoc Sabbatum ex S. August.) careant adhuc principio & fine. quod est firmatum in postrema Breuiarij recognitione.

27 Contuenerunt dici Vesperæ breuiiores in hoc Sabbato, & vnà cum fine Missæ; tum, ne Neophyti nondum assueti diuinis Officijs tardio afficerentur; tum, ne finita Missa per *Te missa est*, populus recederet sine Vesperis Paschalibus, Bebeth *cap. 111.* quo ferè modo idem scribit *cap. 98.* finiri Missam cum Vesperis in Parasceue.

28 Completorium incipit esse Paschale cum principio, & fine. Antiphona ad *Nunc dimittis* dicitur ad modum ritus Semiduplicis, vt expressè dicitur in Breuiario edito 1550. Quòd autem dicitur, ad Antiphonam *Regina Cæli*, &c. standum esse, neque genua flecti toto tempore Paschali; hoc postremum intellige de oratione, non de adoratione, quæ semper fit cum genuflexione, vt ad ea verba patet, *Et incarnatus est*, &c. *Et Verbum caro factum est*; *Te ergo quaesumus famulis tuis*, &c. Quare ad Salutationem Angelicam, quæ ter in die sonatur cum campana, ex Decreto Ioannis XXII. vt scribit Polyd. Virgil. *lib. 6. cap. 12.* seu veriùs, manè & vesperi, ex Decreto Gregorij IX. an. 1239. vt eodem anno scribit Bzouius: & in meridie abrogatum fortasse vsus post Ioannem XXII. restituit Callistus III. an. 1456. ex eodem Bzouio, *ibidem.* si orationem eam esse putas, stare debes; si adorationem, genua flectere. Ego existimo adorationem esse Incarnationis Verbi diuini: sed quia communior est hodie sensus, & vsus, quod ea sit oratio, nec ego genua flecto cum alijs.

29 Quereres: An in hoc triduo ad Horas minores accendantur cerei in Altari. Et in Nocturnis quidem & Laudibus accendantur; extinguuntur autem cum cantatur *Benedictus*, à Versu illo, *Vt sine timore.* In Feria sexta Horæ ante Missam sine cereis accensis dicuntur, Carimon. Episcop. *lib. 2. cap. 25.* In Sabbato idem faciendum est ante noui ignis benedictionem. In alijs Horis ante Missam Fer. 5. & ad Vesperas quascumque accendi debent, non ad Completorium, nisi Sabbati sancti.

De Paschate, & eiusdem Octaua.

CAP. XIV.

MAtutinum habetur, vt apud nos, in Ord. Romano, cum tribus Psalmis, totidem Antiphonis, Lectionibus, sine Hymno, quibus ternarijs significantur operum trium dierum, quæ Christus se promissit facturum in præsentis sæculo, *Luc. 21.* hoc est, dæmonia eicere, sanitates perficere, & consummari tertia die: vel significantur Fides, Spes, & Charitas, quæ in hoc mysterio maximè vigent. Hæc Amalar. *lib. 4. cap. 23.* Vel dicimus cum Ruper. *lib. 8. cap. 2.* in nomine S. Trinitatis celebratum esse Baptisma, & ideo tres dici Psalmos; tres autem Lectiones, quia adhuc pauci Prædicatores erant, inquit idem *lib. 4. cap. 10.* Vel triduanam sepulcrum recolimus, ex qua Resurrectio ortu habuit, Duran. *lib. 6. cap. 87.* Certè antiquum esse hunc ritum testatur, & firmavit Decreto Gregorius VII. *De Consecratione, Distinct. 5. In die.*

2 Non dicitur Hymnus, neque ad alias Horas; quia tempus Paschale significat statum Beatorum, quorum Hymnus est *Alleluia*, Duran. *loco cit.*

3 Antiphonæ ad Laudes habentur in Breuiarijs M. S. antiquis. Capitulum non dicitur, neque ad Horas, quia in statu Beatorum non est locus exhortationi, quam aliàs diximus contineri in Capitulis. Ex quo consequenter non dicitur Responsorium breue, vt notat Durand. *loco citato.* sunt enim correlatiua in Horis minoribus Capitulum, & breue Responsorium, sicut exhortatio, & opus bonum, quæ in illis significantur, vt docuimus *Sect. 5.* neque sunt comprehen-

henforum, sed tantum viatorum.

4 Non dicuntur Versus nisi in Nocturno, ob eandem causam; cum significant excitationem animorum & conuersionem ad Deum. In Nocturno dicitur, quia in nocte timor adest, ait Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 52.* & ob facilem noctis somnum, cum Versu fugandus est animorum torpor.

5 *Hac dies* loco prædictorum dicitur: qui Versus desumptus est à Psalmo, cuius titulus est *Alleluia*, vt notat Ruper. *lib. 7. cap. 11.* Ordo Romanus eundem Versum habet, & significat lætitiæ magnitudinem, ex Rup. *lib. 8. cap. 2.* & quod in statu Beatorum sibi inuicem gaudent & gratulantur, Gemma *lib. 3. cap. 128.*

6 Non dicitur ad Primam Symbolum Athanasij; quia in statu Beatorum non est fides, Gemma *loca cit.* qui status representatur in Christi resurrectione.

7 Vesperæ in Ordine Rom. diuidebatur, ita vt duo vltimi Psalmi, *Laudate pueri*, & *In exitu*, cantaretur ad Fontes Baptismales, in quibus baptizati facti sunt pueri, & quasi per mare rubrum transeuntes exierunt de Aegypto: sed vbi non erant Fontes, cantabantur sine diuisione, Dur. *lib. 6. cap. 89.*

8 Feriæ 2. & 3. sunt Festa maiora, quorum meminit Aug. 22. *Ciuit. Dei c. 8.* & in his, & in sequentibus diebus eadem dicitur quæ in die primo; quia, vt aliis dictum est, octo dies in Octaua vna dies sunt, vnde & dicitur quotidie, *Hac dies.* Ordo Rom. eundem habet ritum præscribens Homiliam singulis diebus; quem restituit Pius V. addens Homiliam Feriæ tertiæ, in qua paulò ante Pium legebatur Sermo sancti Augustini; & item Feriæ sextæ, in qua Sermo S. Ambrosij legebatur.

De Tempore Paschali.

C A P. X V.

1 IN Dominica in Albis resumuntur plures Psalmi & Hymni, ex Ord. Rom. vbi additur etiam causa. Deinde, inquit, in sequenti tempore quasi crescentium arborum frondes multiplicantur Psalmi, & recoluntur mores boni diuersorum operum per plures Psalmos. Idem asserit de nouem Lectionibus in hac Dominica Gemma *lib. 4. cap. 117.* Ad Primam non dicitur Psalmus *Confitemini* more Festorum; quia tempus Paschale totum est festiuum, etiam in Officio feriali.

2 In secunda Feria leguntur Actus Apostolorum, ex Decreto Gelasij, & Ordine Romano. indicat August. in *Sermone citato à Demochare Tom 4. cap. 12.* Scripsit Lucas Romæ eadem Acta anno 61. Neronis quinto, ex Baron. *ad eundem annum.*

3 Psalmi dicuntur hoc tempore, feriales præsertim, sub vna Antiphona *Alleluia*, ex Gemma *loca citato*, quia, sicuti ex Ordine Romano paulò antè diximus, multiplicantur Psalmi quasi arborum frondes; ita ab vna Antiphona, quasi ab vna radice, congruè pendunt. Vide *Sol. 5. cap. 7. n. 5. pag. 74.* aliam causam. Ad Laudes ijdem tempore Psalmi dicuntur, ex Gemma *loca citato*, & commemoratio de sola Cruce fit in Breuiarijs M. S. antiquis; quia fuit causa lætitiæ Paschalis, inquit Azor. *lib. 10. cap. 16.* & quia Christus ipse ad gloriam Crucis Vulnera tenuit, ab ea, vel in ea eidem inflicta; quæ passim Apostolis & alijs ostendit his diebus. Oratio verò de Cruce desumpta est à Sacramentario S. Gregorij, sed.

sed est Ambrosiana, ut dictum est Tomo primo.

4 In Dominica secunda post Pascha continuatur Lectio Actuum Apostolorum; quia est exemplaris, cum antiqui legerent in hac & sequenti Dominica Apocalypsum, vsq; ad annu 1550. & Responsorialia congruunt Lectionibus, repetita in tribus Hebdomadibus, tamquam propria Resurrectionis eius qui tertia die resurrexit.

5 Dominica tertia legitur Apocalypsis, quam scripsit Ioannes Apostolus in Patmos, ad quam Insulam relegatus fuit à Domitiano anno decimo eius Imperij, & 14. eiusdem eam scripsit, qui fuit annus Christi 97. ex Baronio eodem anno in *Annal.*

6 In Dominica quarta legitur Epistola Iacobi, quã Eusebius *lib. 2. Hist. cap. 22.* appellat primam eorum quæ Catholicæ nominantur, non quod Iacobus ante Petrum scripserit, sed quia in Canone prima collocatur. Obijt ille anno 63. ex Baronio; & facile eam scripsit, occasione Hæresum Simonis Magi. Responsorialia Dauidica habentur apud Amal. *de Ord. Antiph. cap. 54.* Quod si hæc Dominica occurrat die 2. Maij, cum pridie legi debeat initium Epistolæ Iacobi, ob eiusdem Festum, legantur in hac Dominica Lectiones Feriæ 2. sequentis, ad varietatem, vti decretum est in postrema Breuiarij recognitione.

7 In Dominica quinta legitur Epistola prima S. Petri, scripta anno 45. cum esset Romæ, quam in fine Epistolæ, more illorum temporum ab Apostolis vñtato, Babylonem appellat. Et hæc de Dominicis post Pascha; in quibus cur legantur Apostolica facta, & scripta, præter Gelasij Decretum, addit causam Ruper. *lib. 10. cap. vlt.* quia

virtute magna reddiderunt Apostoli testimonium Resurrectionis Christi. Orationes à Dominica secunda ad quintam sunt aliæ à Missis, quæ habentur in Sacramentario Gregoriano.

De Litanjs maioribus & minoribus.

C A P. XVI.

1 **S**I occurrant Litanie maiores in Paschate, quod accidit anno 1666. & quando littera Dominicalis est C, & Epacta xv. vel xxiv. vt videre est in Tabula nostra 35. Ordinis perpetui, eo casu transferendæ sunt in Feriam tertiam, ex Decreto S. Rituum Congregationis die 25. Septemb. 1627. cum Processione, in diem quidem Festum, vt populus adsit; non in die Paschatis, ne populus impediatur à Communione Paschali; neve tristari videatur vel minime in tanta solemnitate, colore violaceo adhibito, & Missa canonica de luctu: & consequenter Litanie a priuatis in eadem Feria recitandæ erunt.

2 Alias non habebatur in Breuiario Officium de Rogationibus, sed Missa tantum dicebatur: nunc autem Hymnia legitur super Euangelium Misæ, & dicitur in Officio Oratio Misæ, quæ habetur in Sacramentario Gregor. De Feria tertia Rogationum in illa fit in Officio de Festo, etiam Simpliciter, commemoratio.

3 *Qui non intersunt Processionibus, dicant priuatum Litanias, &c.* quo verbo præcipitur omnibus qui tenentur recitare Horas Canonicas, sub mortali, ex Suar. *lib. 4. de Hor. Can. cap. 25. num. 8. & 9.* Neque de his loquitur Pius V. in Bulla, quando tantum hoc

tatur ad Psalmos Pœnitentiales, &c. Et licet oremus stantes tempore Paschali; tamen ij qui non interfunt Processionibus, flexis genibus eas recitare debent, Io Belech c. 121. mœrorum enim habent cum colore violaceo, & recitantes peccatorum potiùs statim repræsèntant quàm iustorum, vnde in ijs dicunt, *Peccatores*, &c. De auctoribus Litaniarum maiorum & minorum diximus in primo Tomo.

4 Caueant ij qui in Processione fabulantur, & materialiter tantùm cantant cum alijs Litanias, vel non cantant, ne rei fiant coram Deo: communis enim est opinio, eos teneri ad priuatam earumdem recitationem; quia inter absentes eo modo numerantur.

5 An verò in Processione sint cantandæ Litaniaz cum repetitione, vti fit in Sabbato sancto. Nonnulli eas cantant cum repetitione in Litanij maioribus, non in alijs, alij semper cum repetitione. Standum videtur consuetudini locorum, habita ratione quoque longioris aut breuioris viæ: sed repetitio propria est Sabbati sancti & Pentecostes. Si fiat Processio, non antè discedatur ab Altari, quàm sit cantatum inclusiuè, *S. Maria, ora pro nobis*, vt dicitur in Rituali Pauli V. In longiori Processione vel repetantur, vel addantur Psalmi Pœnitentiales, seu Graduales, *ibid.* terminetur autem cum Precibus & Orationibus, quæ habentur in fine Litaniarum Breuiarij Romani, *ibid.*

6 Quæsitum fuit: An ille qui recitat vespèri Matutinum cum Laudibus, possit etiam statim recitare Litanias: & respondi, posse, quia Rubrica coniungit Litanias cum Laudibus, quibus idcirco adiicitur *v. Fidelium tit. 30.*

de Oratione num. 3. & accessorium sequitur naturam sui principalis, quod in hoc casu sunt Laudes.

De Festo Ascensionis Domini.

CAP. XVII.

1 **V**igilia Ascensionis non habet ieiunium, quia de tempore Paschali est; vnde & admittit Hymnum *Te Deum*. Habet Homiliam de Euangelio Missæ, de nouo iure Pij V. vt concordet Officium cum Missa. Microl. cap. 55. meminit ieiunij; ergo post eum cessauit, vel alicubi tantùm fuit seruatum.

2 Ascensio Domini indicitur festiua cum Antiphonis ad vnumquemque Psalmum, puto ad feruorem charitatis excitandum, quæ in Antiphonis significatur, vt diximus supra *sect. 5. c. 7. n. 3.* & in Ordine Rom. leguntur Lectiones primi Nocturni de Actibus Apostolorum, quæ à nobis. Amal. de Ord. Antiph. c. 56. indicat Officium idem quod nos recitamus. Oratio habetur in Sacram. Gregor. Habet Octauam, ex Radul. *Propos. 19.*

3 In sequentibus diebus prosequimur reliquas Epistolas legere Apostolorum Petri, Ioannis, & Iudæ, vsque ad Pentecosten, ex Decreto Gelasij. Et binæ Petri, ternæ Ioannis habent rationem vnius libri, sicuti diximus de Epistolis Pauli; vt idcirco nihil cures, si earum initia legi non possint, impeditis proprijs Ferijs. quod in postrema Breuiarij recognitione examinauimus.

4 Scripsit autem Petrus secundam Epistolam anno Christi 68. paulò ante martyrium, vt idemmet significat in Epistola, Baron. eo anno. Sanctus Ioannes scripsit primam, quæ legitur

R in

in Dominica infra Octauam Ascensionis, anno 99. occasione hæresis Basilidis, qui negabat veritatem carnis in Christo; eodemque anno scripisse creditur alias duas, quæ leguntur in Feria quarta & sexta sequentibus. Iudas autem, vt putat Baronius, scripsit post 2. Petri, anno 68. cum sit eiusdem ferè argumenti; & vltimo loco ponitur, quia in Catalogo Apostolorum erat auctor de postremis: neque insignis ea fuit æstimata, vt Epistola Iacobi, quæ ceteris præposita fuit, vt merito Iudæ Epistola cesserit locum Epistolis S. Ioannis posterius scriptis, vt diximus, anno 99. Et hæc de auctoribus Epistolarum.

5 Octaua Ascensionis erat Semiduplex in Breu. edito Ven. 1521. hodie Duplex: & habet Officium quoad Lectiones proprium; alias enim vt in Festo legebatur. Habet primas & secundas integras Vesperas, si concurrant cum Duplici maiori, vt in postrema Breuiarij recognitione decretum est.

6 In Feria sexta & Sabbato sequentibus Officium est de Ascensione, & de Dominica infra Octauam Ascensionis. Sed cur in secundis Vesperis Octauæ Ascensionis non fit commemoratio sequentis Officij Semiduplicis per Antiphonam ad *Magnificat* Dominicæ; sicuti in secundis Vesperis Octauæ Innocentium fit de sequenti Offic. Semiduplici, Vigilia Epiph. & per Antiphonam Dominicæ infra Octauam Natiuitatis? eadem enim videtur esse ratio. Non est tamen eadem: nam concurrente Octaua Innocentium cum sequenti Vigilia, fit concursus inter Festum de Sanctis, & Officium de Domino Sanctorum sub minori ritu; & ideò de Duplici sunt

Vesperæ cum cõmemoratione sequentis Semiduplicis. At in Octaua Ascensionis cum sequenti Officio non debet esse concurrentia; quia vtrumque Officium, licet Duplex alterum, alterum Semiduplex, est tamen de eodem Domino; de quo non conuenit facere Festum, & simul commemoratiõem, idèò omittitur commemoratio.

7 Si Feria 6. occurrat Festum Semiduplex, in secundis Vesperis fit tantum commemoratio Ferie sextæ: & ratio est, quia potius est concurrentia Festi & Ferie, quam concurrentia cum Sabbato sequenti; quod neque est Festum Semiduplex, neque dies infra Octauam, sed Officium Semiduplex repetitæ Dominicæ vsque ad Nonam inclusuè. Si occurrat Festum Duplex, fit de eo cum commemoratiõem Ferie in Laudibus, & secundis Vesperis, sine Lectione Homilia; cuius Euangelium in Dominica sufficienter fuit lectum. De Festo autem Semiduplici translato fit in hac Feria 6. vt aliis in Breuiario Clementis VIII.

8 Dices: Cur in Sabbato, Vigilia Pentecostes, non dicitur in Officio Oratio Missæ, & legitur in eodem Euangelium Missæ? Respondeo, quòd Oratio Missæ ad baptizatos pertinet, vt patet ex eiusdem verbis; & hi baptizantur cantata Nona, & finito Officio.

9 Ad Primam in his duobus diebus, licet sint Officia Semiduplicia, & extra Octauam, omittuntur tamen Preces, de iure nouo Clementis VIII. quod tamen erat in vsu in Breu. edito 1550.

10 Per decem verò dies fit Officium de Ascensione, Amal. de Ord. Antiph. c. 54. quia per obseruantiam Decalogi acceperunt Apostoli Spiritum sanctum in Pentecoste, Duran. lib.

lib. 6. cap. 105. Oratio Dominicae alia est ab Oratione Missae, quae habetur in Sacramentario Greg.

De Pentecoste.

CAP. XVII I.

Habet in Matutino tres Psalmos cum totidem Lectionibus, ut in Paschate, Ordo Romanus, & ex Greg. VII. de Consecrat. Dist. 5. cap. In die, ubi asseritur fieri de antiquo more, quamvis apud Romanos fuisse suo tempore Festum novem Lectionum scribat Amalarius Gregorio longe antiquior in Prologo de Ord. Antiph. contra Ordinem Romanum Amalario antiquiorem.

2 Restitutus est ergo ritus à Gregorio VII. vel firmatus Decreto: quo ritu idem significatur, quod diximus supra in Paschate cap. 14. num. 1. exceptis proprijs causis ad resurrectionem pertinentibus. Antiphonas, quae in hac die dicuntur in Nocturno, recenset Amal. lib. 4. de Div. Offic. cap. 27. ut demonstratur, inquit, vnum opus esse in potentia miraculorum S. Trinitatis, tum in resurrectione Filij, tum in aduentu Spiritus sancti. Tres Psalmos dici ob Baptismum, qui datur in Pentecoste in nomine Trinitatis, tradit Gemma lib. 3. cap. 144. Antiphonarum ad Laudes, quae apud nos, meminit Amal. de Ord. Antiph. cap. 57. Antiphona quarta non videtur aliquibus congruere Festo: sed recolant, quod in Genesi dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas. De Hymnis, & eorum sine, vide sup. Sect. 5. cap. 6. num. 5. & 12. pag. 67. 72.

3 Ad horam Tertiam dicitur Hymnus Veni Creator: quia hora Tertia

super Apostolos Paracletus descendit. Et licet quotidie ad eandem Horam inuocemus eundem Spiritum, Nunc sancte nobis Spiritus; tamen conuenit hac die, ut Hymno longiori & proprio Festi eum inuocemus, & ad nos inuitemus.

4 Per Octauam leguntur Euangelia cum Homilijs, quae apud Duran. habentur lib. 6. à cap. 110. & deinceps: nam tempore Ruperti alia legebantur in Quatuor Temporibus Pentecostes, ut ipse scribit lib. 10. cap. 27.

5 De Feria quarta, sexta & Sabba-
to Quatuor Temporum, quae sunt Tempora aestiua, diximus Tomo prior. In his autem ad Horas non flectimus genua, ex Ord. Rom. quia tempus adhuc Paschale est; & ideo dicitur etiam Te Deum.

De Dominica Trinitatis.

CAP. XXI X.

Praeter ea, quae diximus Tom. 1. par. 4. tit. 12. pag. 280. de origine Festi sanctissimae Trinitatis, inuenies apud S. Augustinū Tom. 10. nonnullos Sermones in eodem Festo habitos, seu, quod puto verius, eidem Festo à Collectoribus assignatos: nam in ijs ne verbum quidem habetur, quo Festum hoc tunc temporis indicetur. Atqui post Alexandrum III. in Romana Ecclesia decretum est hoc Festum, cap. Quoniam de Ferijs.

1 Officium, quod hodie recitatur, antiquum appellatur in Breuiario edito Venetijs 1550. & puto esse illud, quod à sancto Stephano Leodiensi compositum fuisse scribunt Duran. l. 6. c. 114. & Trithemius in Chron. Hir-sagiensi. Aliud Officiū ego legi à Romana Ecclesia usurpatū, à Io. Pechano

Archiepiscopo Cantuar. compositum, à Fracisco Titelmanno expositum, quod fuit in usu circa annum 1290. quò videbatur Pechanus : sed quia stylus est difficilior, & obscurissimus, eo abrogato, illud est suffectum denuò, quo nos utimur ; in quo tamen Pius V. mutauit Hymnos & Lectiones ; addidit primum & vltimum Responsorium, media aliqua mutauit in meliora ; ad Laudes autem iussit repeti Antiphonas in primis Vesperis positas, reliqua non sunt mutata Oratio habetur in Sacramentario S. Gregorij, in *Missâ de nocte Pentecostes, editionis Romanae*. Fit commemoratio Dominicæ primæ Pentecostes, ne omittatur Dominica, cuius Oratio est Ambrosiana. In secundis Vesperis, si concurrant cum Festo primæ classis, fit de sequenti, cum commemoratione Trinitatis tantum : si cum Festo secundæ classis, integræ Vesperæ erunt de Trinitate, ex Rub. *de Concurrent. num. 2.* quæ Vesperas integras assignat maiori Festo & commemorationem minori Ipsamet Trinitas sic voluit, à qua regitur Ecclesia, quidquid contra scripserit Petrus Ruiz. Et hæc Dominica prima post Pentecosten vt sic, est eiuldem rationis cum Dominicis sequentibus. non enim de ea intelligitur Rubrica sub titulo Dominicum primæ classis, quæ numquam omittuntur, nempe Dominica Trinitatis : & patet, quia de illis fit totum Officium, de hac verò commemoratio tantum ; & ipsa commemoratio omittitur in secundis Vesperis, si Feria secunda celebretur Festum secundæ classis, vel primæ. Neque mireris, quòd Festum Trinitatis nunc dicatur Festum, nunc Dominica, nam vtrumque verum est : & ratione Dominicæ, in qua semper occur-

rit, habet hoc, quòd numquam omittitur Officium de Trinitate, licet eo die occurrat alicubi primæ classis Festum ; ratione verò Festi habet ea tantum quæ sunt propria Festorum secundæ classis, puta commun. de Simplici in Laudibus tantum, & in Missis priuatis. Neque in Rubricis potuit congruè aliter fieri ad vtrumque decernendum, quidquid obiecerint non pauci.

2 Octauam in Octauario nostro descriptam arguunt aliqui ; quia Microlog. non laudat Festum : sed aliud est loqui de Ecclesia vniuersali, in qua qualibet Dominica Trinitati erat dicata ; aliud est loqui de Titulo Ecclesie particularis. & in hoc sensu sacra Rituum Congregatio decreuit Octauam sanctissimæ Trinitatis, & dignitatem in propria Ecclesia esse, quam Octauam Corporis Christi. An verò infra Octauam dicatur Symbolum S. Athanasij, vide supra Sect. 5. c. 10. num. 4. pag. 101.

3 In tertia Antiphona ad Laudes, vox *omnium* coniungenda est cum ore, non autem cum *Patri*, ita, vt dicas, *in ore omnium*.

4 In Feria secunda sequenti, cum pridie non potuerit legi ob Festum Trinitatis, legitur primus liber Regum, Microlog. cap. 59. & Gemma lib. 4. c. 117. quem librum à Samuele fuisse compositum, testatur liber 1. Paralipom. cap. vlt. hoc est, vlt. que ad cap. 24. nam in sequenti narratur eiuldem obitus. Dauidem suppleuisse, ait Isid. lib. 6. *Originum* cap. 2. quem sequuntur alij. Nathanum, & Gadum alij, ex cap. vlt. 1. Paralipom. Ieremiam potius Tornicellus noster existimat probabilius, *sub anno mundi 2977. num. 2.* Res est incerta. Legi-

Legitur autem de libris Regum, ex Decreto Gelafij, vt diximus *Secl. 5. cap. 12. num. 8. pag. 85.*

De Feflo Corporis Chrifti.

CAP. XX.

Officiũ ſcripfit ſanctus Thomas. & habetur in *Opufe. 57.* iuxta ritum illorum temporum. Hodie concordamus cum auctore, ſeruato ritu Pij V. in Officio toto, his exceptis. Capitulum in primis Veſperis erat aliud. Lectiones primi Nocturni erant de Scriptura veteri: amoto quarto Reſponſorio S. Thomæ, additum eſt ſextum de nouo, Pij V. iuſſu.

2 Per Octauam non mutatur amplius Inuitatorium, neque Antiphonæ ad *Benedictus & Magnificat.* Lectiones quoque pro tribus Nocturnis additæ ſunt à Pio V. in quibus apparent congruentiæ cum myſterio, etiam in primis Lectionibus, quæ de Arca Teſtamenti, Euchariftiæ figura, narrationem continent.

3 De Priuilegijs huius Octauæ, ſi concurrat cum Feſto, & Octaua ſancti Ioannis Baptiſtæ, & qua ratione excludat Semiduplicia Feſta, & Duplicia translata, diximus *Secl. 3. cap. de Octauis.*

4 De Simplici fit tantum commemoratio infra hanc Octauam. An nona Lectio erit legenda Negant aliqui, quia hoc non dicitur in propria Rubrica; quod tamen dictum fuit in Rubrica poſita infra Octauam Aſcenſionis: ſed vna Rubrica explicat aliam, prior poſtiorẽ. & patet debere legi, ex Rubr. gen. de *Commemor. 9. num. 10.*

5 Indulgentiæ conceſſæ ijs qui in-

terſunt Horis Canonicis in Feſto, & per Octauam, valent, etiamſi Officium dicatur de Sanctis occurrentibus, ex Decreto Ioannis XXII. quod ego legi in antiquo M.S.

De Dominicis poſt Pentecoſten.

CAP. XXI.

Non minorem viginti tribus, nec maiorem viginti octo Dominicarum numerum poſt Pentecoſten fore uſque ad Aduentum, ſatis ſuperque patet, quæ ſupplentur cum Dominicis quæ ſuperſunt poſt Epiphaniam, vt docuimus *Secl. 3. c. 5. de Dominicis pag. 25.* Ponuntur autem in Breniario Dominicæ vigintiquatuor cum proprijs Orationibus & Euangelijs, quæ fuerunt optimè per Dominicas diſtributa; Orationes quidem à ſancto Gregorio, Euangelia verò à ſancto Hieronymo: quorum auctoritas ſufficiat pro ratione, cur potiùs hæc vel illa Oratio; cur hoc vel illud Euangelium legatur; & hæc vel illa Dominica. Idem ferè, pauciſſimis mutatis, tum textus, tum ordo Euangeliorum hodie perſeuerat à ſancto Hieronymo præſcriptus, vt vidimus in eius Comite, ſeu Lectionario: in primis autem Dominicis poſt Pentecoſten apud minùs antiquos erat alius ordo, vel mutata ſedes aliquando Dominicæ pro diuerſarum Eccleſiarum uſu; quod videre eſt in *Ruper. toto lib. 12. de Diuinis Offic. in Gemma lib. 4. toto, & in Datando lib. 6. toto.* Orationes item, quæ mox ſequuntur, Ambroſianæ ſunt, & à ſancto Gregorio aliter diſtributæ, nimirum, Dominicæ quintæ, nonæ, & vigefimæ primæ, reliquæ Romanæ.

R 3

2. Tem-

2 Tempus autem hoc totum à Pentecoste ad Aduentum, ex Amal. *de Ord. Antiph. cap. 58.* insinuat humilitatem illam, quam solet sustinere Ecclesia propter absentiam Christi sui Sponsi.

3 De ordine, quo legitur Scriptura facta hoc tempore, & quam ob causam, scripsimus supra *Sect. 5. cap. 12. num. 8. pag. 84.*

4 Et quidem vsque ad Augustum legimus libros Regum, quorum secundum scripsit vel Nathan, vel Gad, vel Ieremias; tertium & quartum Ieremias, ex Gemma *lib. 4. cap. 117.* qui hausit ab Isid. *lib. 1. de Diuin. Offic. cap. 12.* & est opinio constantior.

5 Mense Augusto leguntur Sapientiales libri; inter quos Cantica canticorum infra Octauam B. Virgiuis Assumptæ, in eiusdem laudè: & quidem Prouerborum, Ecclesiastæ, Cantici cant. est sine dubio Salomon auctor; Sapientiæ verò libri facit auctorem eundem Salomonem Isid. *loco citat.* Philonem S. Hieronymus, qui conciliantur à Bellarm. *de Scripturis Ecclesiasticis*, quòd sententiæ Salomonis sunt; earum collector Philo, qui Græcè scripsit, antiquior alio Philone, qui sub Caio Imperatore floruit. Ecclesiasticus quoque legitur per duas Hebdomadas, nisi dematur altera, ob breuitatem temporis, appropinquante Septembri: quem librum scripsit Iesus filius Sirach, nepos Iesu Sacerdotis, cuius meminit Zacharias, vt tradit Isid. *de Diuin. Offic. loco citato.*

6 Mense Septembri legitur primo Iob: cuius historia vel ab ipsomet, vel à Moysè, vel ab aliquo ex Prophetis scripta est, ex Isid. *lib. 6. Originum c. 2.* Bellarminus *loco citato* putat à Iob fuisse adnotatas res à se gestas lingua

Arabica, & à Moysè deinde ex ijs compositum fuisse librum, quem nunc habemus lingua Hebraica; tum quia Hebraei hoc idem asserunt esse opus Moysis; tum quia dicitur Moyses primus sacrarum Litterarum scriptor, qui fuit tamen longè posterior Iobo, & hac ratione istè Canonem Scripturarum ab Hebraeis admissus fuit hic haberi legitur autem per duas Hebdomadas Septembris.

7 Legitur præterea Tobias in terra Hebdomada, cuius Historiæ auctor vel fuit Tobias senior, vel iunior, ait Bellarm. Incertum esse auctorem, scribit Isid. *de Diu. Offic. loco citato.* Sed parum de eo legitur, propter Ferialias Quatuor Temporum, de quibus in priore Tomo diximus; & in Officio earum Feriali nihil occurrit specialiter notandum.

8 Circa finem Septembris in Hebdomada quarta & quinta legitur Iudith cum Esther; libri vero Iudith fuit auctor incertus, ex Isid. *loco cit.* Bellarminus ex *Iosephi historia lib. 7. contra Appionem*, Sacerdoti Eliachim tribuit, qui & Ioachim, de quo *cap. 4. & 15.* Iudith. Achiorum vult esse auctorem Gemma *lib. 4. cap. 117.* Esther historia ab Eldra scripta fuit, ex Isid. *lib. 6. Originum c. 2.* sed Bellarmino magis placet, quod sueno auctor Mardocheus. Legè Tornicellum nostrum *anno 3650. num. 3.* & Gemmam *loco cit.*

9 Mense Octobri leguntur libri Machabæorum, quorum primus habet auctorem incertum, ex Isid. *lib. 3. de Diu. Offic. c. 12.* Probabile videtur Bellarmino, fuisse scriptum à Ioanne filio Simonis; sed Gemma *loco cit.* docet, Simonem scripsisse prima capita, posteriora Ioannem. Secundum verò librum

librum scripsit Philo Iudæus, ex Gemma loco citato, vel Iudæus agrestis, sed eruditus, ut ait Duran. *lib. 6. cap. 130.* vel certius, Iason Cirenæus, ut loco cit. docet Bellarminus.

10 Mense Nouembri legitur primò Ezechiel per duas Hebdomadas, nisi Aduentus præproperè occupet Nouembrem; cuius reuelationes, sicuti & Danielis, & 12. minorum Prophetarum Synagogæ sapientes viri collegere, ex Isid. *lib. 1. de Div. Off. cap. 12.* Auctores tamen ijdem dicendi sunt qui prophetauerunt. Maiores dicti sunt Prophetæ, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, minores alij duodecim; tum ex August. 18. *in Dei cap. 29.* quia prolixiora Volumina illi scripsere, hi Sermones breues; tum ex Bellarm. quia minorum Prophetarum libri omnes vnico libro comprehenduntur apud Hebræos; illi singulos edidere libros. Ordinem autem temporum, quo scripserunt, habes supra *Sect. 5. cap. 12. num. 7. pag. 84.*

11 In gratiam martyrii septem Machabæorum, si fortè desit Dominica quinta Octobris, iubemur legere de eo Fer. 5. præcedente dictam Dominicam; & eodè modo, si Dominica quinta & Feriæ sequentes fuerint, impeditæ, quo minùs de Scriptura legi possit, leguntur in alijs sequentibus Ferijs post Feriam tertiam, ita ut saltem inchoentur, si minùs omnes de eorum dem martyrio possunt legi Lectiones. Nulla enim est obligatio legendi totam historiam de martyrio septem Machabæorum, ut ex Rubrica patet in *Breniar. postea ante Fer. 5. Hebdom. 4. Octobris*; ex qua vel leguntur in Feria 5. 6. & Sabbato Domin. 4. vel ijs impediis, omittuntur quæ legi non possunt: vel ijs sua propria Hebdoma-

da quinta leguntur in suis proprijs Ferijs, vel in sequentibus 4. vel 5. vel 6. vel Sabbato, iuxta ordinem historiæ; numquam verò ultra tres Lectiones in qualibet Feria, ne grauetur Clerus. & fuit hoc sancitum, me præsentè, in Recognitione Breuiarij sub Clemente VIII. Qui verò voluerit vno eodemque die eas omnes nouem vnà simul legere, impeditis alijs diebus, legat arbitrato suo; sicuti quilibet etiam legere potest integrum totum textum trium Lectionum pro initio cuiusque Prophetarum, & Lectione vna: at in Calendarijs Ecclesiarum factis est imponere necessarium onus Lectionum, non autem arbitrariū. quod & nos præstitimus in Ordine nostro diuini Officij perpetuo in Tabulis eiusdem. Habent autem SS. Machabæi Festum proprium 1. die Augusti, quod omissionem harum Lectionum supplere videtur.

12 Initia Lectionum minorū 12. Prophetarum legi debent, licet dixerimus apud Hebræos constituere vnum librum; quia plures nihilominus sunt auctores, ut in Rubrica de *Lectionibus* dicitur *num. 7.* ita ut, inquit, aliquo modo ponatur initium Prophetæ vel in sequenti, vel in præcedenti Feria non impedita simili initio Scripturæ ponendo, vel plura simul initia vno die, ut diximus supra *Sessione 5. c. 12. num. 12. pag. 861.*

13 Quid si, verbi gratia, Festum S. Catharinæ sit Duplex primæ classis in sua Ecclesia, in quo legi idè debent Lectiones primi Nocturni de Communi Virginum; neque dies ampliùs vacet ad legenda reliqua initia Prophetarum? sæpè accidit in longiori Aduentu; & tunc omitti possunt quæ locum non habent: nam Rubrica citata

citata num. 7. ait, *quoad commodè fieri poterit*; parumque refert, si in Ecclesia aliqua particulari non legatur de omnibus Prophetis aliquo anno.

14 Lectiones autem secundi Nocturni in prædictis Dominicis concordant cum Lectionibus primi Nocturni, ita, vt sint quasi earundem Commentaria, excepta Domin. 3 Septembris, in qua sanctus Leo nos inuitat ad ieiunium septimi mensis, & Dom. 5. Nouembris, in qua sanctus Basilius timorem Domini docet; eò quòd ea Dominica vltima post Pente-

costen, in Euangelio de fine mundi & de iudicio vniuersali agitur.

15 Responsorja denique Lectionibus respondent, vt nihil magis; sicut etiam Antiphonæ ad *Magnificas* in primis Vesperis Dominicæ defumuntur è Scriptura legenda in primo Nocturno Dominicæ eiusdem; ad *Benedictus*, & *Magnificat*, in secundis Vesperis, ex Euangelio eiusdem Dominicæ lecto in Nocturno tertio, ita, vt ipsæmet Antiphonæ sint de veteri vel nouo Testamento. Atque hæc de Proprio de Tempore.

SECTIO SEPTIMA.

De Proprio Sanctorum.

SECTIONIS SEPTIMÆ CAPITA XIII.

- | | |
|--|---|
| 1 De Vigilijs, Festis & Octauis Sanctorum. | 7 De Festis Sanctorum mense Maio. |
| 2 De Festis Sanctorum mense Decembri. | 8 De Festis Sanctorum mense Iunio. |
| 3 De Festis Sanctorum mense Ianuario. | 9 De Festis Sanctorum mense Iulio. |
| 4 De Festis Sanctorum mense Februuario. | 10 De Festis Sanctorum mense Augusto. |
| 5 De Festis Sanctorum mense Martio. | 11 De Festis Sanctorum mense Septembri. |
| 6 De Festis Sanctorum mense Aprili. | 12 De Festis Sanctorum mense Octobri. |
| | 13 De Festis Sanctorum mense Nouembri. |

De Vigilijs, Festis & Octauis Sanctorum.

CAPVT I.

1 DE his vide in primo Tomo, & in Præfatione ad Octauarium Romanum.

2 Historias singulorum Sanctorum, de quibus in Breuiario fit Officium,

non est huius loci recensere; aliorum est prouincia, non nostra.

3 Quare hoc loco tantum est dicendum: Primò, quandonam cuique Sancto, de quo fit Officium, fuit assignata sedes in Calendario Romano; seu, quod idem est, in Breuiario. Sedem autem intellige eum diem quo quisque descriptus est in Calendario Roma-